

LESEN  
124





Cc 432

1) Kuesbeck, Thomsen, Hengo  
et Latinius

nebst 24 - 18]

Cc 432<sup>a</sup> (1-21)

PKC



DISPUTATIONUM ETHICARUM

SEPTIMA

De

MAGNANIMI-  
TATE.

Quam

Divino favente Numine.

*Permissu & suffragio Amplissime Facultatis Philosophi-  
ca in inclyta SALANA.*

SUB MODERAMINE

*Clarissimi & Praestantissimi Viri,*

M. SALOMONIS LENZII,  
SS. THEOL. CANDIDATI ET INCLY-  
tae Facultatis Philosophicae Adjuncti.

*Nobilissimis & Praestantissimis Dominis Collegis & Commilitonibus  
ventilandam proponit*

FRIDERICUS Kühn Halensis S.

*Ad diem Octobr. Horis & loco solitis.*


J E N Æ

*Typis TOBIÆ STEINMANNI.*

*Anno M. DC. XVIII.*



Salomon Lenz



*Amplissimo & Prudentissimo*

V I R O

DN. JOHANNI AMAN-  
DO Rhin/PRÆTORI SAXO HA-  
lensi ut dignissimo ita æquissimo, Parenti  
suo filiali obsequio prosequendo,  
honorando.

*UT ET*

MAGNIFICO ET HONORATISSIMO COL-  
legio Archiepiscopali Magdeburgico, Clarissimorum & Spe-  
ctatissimorum D. D. SCABINORUM JCTORUM in Sal. Saxo-  
nicis, Dominorum suorum Mecœnatum & Patrono-  
rum jure maximeque observan-  
dorum.

*Dissertationem hanc Ethicam*

Offert

*Fridericus Rhin Aut. & R.*





DISPUTATIONUM ETHICARUM  
SEPTIMA.

De  
MAGNANIMITATE.

INTRODUCTIO.



Nullus mortalium in toto hoc amplissimo mundi hæmisphærio fuit unquam & est hodiè, cui status sui qualitatem mutare non arrideat, & qui aliorum honorem etiam sibi non debitum consequi non laboret, cum teste Plin. in Epist. quad. nihil inter mortales usitatus, nihil frequentius quàm locum dare his cogitationibus, ut status aliorum aliis semper meliores esse videantur; Etenim cum spiritus ille inflatus in extremam sua ambitione & superbia devenit miseriam & calamitatem, 2. Pet. 2. neminem in sua sede morari sinit, sed nescio quo fuce & qua ventosa ambitionis spuma homines inquietat quotidie, huic ut solùm, ad quod naturâ sunt proni, dent operam, quomodo alios, quos instabilis fortunæ rota in altum



ēvexit, jūgo invidiæ subjicere, honoresq; il-  
lorum sibi metipsis etiā si indigni sint, im-  
putare queant. Verūm admirandum quidem,  
omnes creaturas servasse originem, nullamq;  
præter solūm hominem, conditionem suam  
mutasse, cum tamen quamdiu vitæ hujus mi-  
seræ durat spatiū omnes status periculis mo-  
lestiisve sint obnoxii, omniaq; quæ sub Sole  
temporum vicissitudinem patiantur, vana ef-  
se de pœnitent, distinct, 2. ex ipsa experientia  
est notorium, quā iniquum quoque sit ho-  
mines honores sine merito expetere judicet  
quilibet sanæ mentis, quoniam ut in ludis o-  
lympicis non qui spectabant, seu qui certa-  
bant, coronabantur, ita hodierno tempore  
honoris augmentum non ambitione, sed la-  
bore ad unumquemq; pervenire debet, 1. san-  
cimus, 6. C. ad leg. Jul. repetund. Cū verò  
& illud sit quoq; vitium honorib. emeritis se  
indignum censerī, ideoq; mediocritatem, quæ  
ubiq; res est tutissima, servandam optimum  
esse putamus; Quoniam a. illa observantia  
in magnanimitate, quæ moderatè versatur  
circa magnos vel debitos honores expeten-  
dos, vel contemnendos, non absque re  
erit, si de ea paucillum dis-  
quiramus,

THEMA



## THEMA I.

*Magnanimitas est virtus, quæ mediocritatem servat in magnis & debitis honoribus moderate vel expetendis vel contemnendis, Arist. l. i. m. m. Kek. l. d. Cas qq. moral. c. 3. Donalds. l. d.*

### THESIS PRIMA.

Magnanimitas Græcè μεγαλοψυχία dicitur à μέγαλ<sup>ος</sup> magnus & ψυχή animus, eò quod sit magnitudo & altitudo animi, *Cic. lib. 4. Ethic. 4.* existens in magno animo & corde excelso, & quæ versatur circa eas res, quæ omnium bonorum sunt maxima, scilicet magnos honores.

2. Quoniam autem errorum genitrix est æquivocatio semper, non abs re esse puto, si hujus vocabuli ambiguitatem explicemus, & sumitur magnanimitas primò pro magna tolerantia, & ita fortitudinem quoq; complectitur, unde Pindar. magnitudinem eam esse, qua quis omnia eleganter tolerat etiam adversissima & *Cic. 1. offic.* fortes igitur sunt habendi & magnanimi non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam. II. pro ornamento virtutum, quo sensu per omnes virtutes eam deducit *Arist. lib. 4. Ethic. c. 3.* III. pro excellenti liberalitate, unde *Cic. 3. offic.* in quibus magnus est animus, in ijs pecuniæ cupiditas spectat gratificandi facultatem. IV. pro virtute moderante appetitum magnorum honorum quam hoc loco accipimus, *Keck. lib. 2. syst. Ethic. c. 4. Donalds. lib. 3. c. 5.*

3. Genus definitionis est virtus, quia est qualitas non natura nobis insita, aliàs omnes essent magnanimi, sed crebris actionibus comparata & acquisita.

4. Magnanimitas servat mediocritatem, quæ est virtus, omnis autem virtus est in medio, quippe cum sit inter duo vitia contraria habitus *Conimb. in lib. Arist. ad Nicomach.*

5. Nec obstat huic nostræ assertioni quod magnanimitas sit mediocritas, quia in ea omnia magna, cum in summis



expetendis sit medium, quod etiam hic extenditur *Sagittar. exerc. exotic. p. 312.*

6. Differentia specifica hujus definitionis est objectum magnanimitatis, quod vel generale vel speciale; Illud est omne id quod magnum est in rebus humanis, *Arist. lib. 4. Eth. Nic. c. 7. lib. 1. m. m. c. 26. lib. 3. Eud. c. 5. Keck. l. d. speciale est ai τιμῶν καὶ ἀτιμίας*, honores magni & ignominia, *Aristot. libr. 4. Ethic. Nicom. c. 7. 2. post. analyt. c. 13.*

7. Honores ergo cum sint objectum circa quod versatur magnanimitas, non immerito quaeritur, an illos ambire sit licitum? Anabaptistae Christianis potissimum indignum omnino esse existimant appetitum occupari circa hanc rem leviculam honoris & in ea acquirendo studium aliquod ponere; verum nos, quibus de meliore luto finxit praecordia Titan, omnino ambiendos esse putamus. 1. quia Scriptura illud probat, quando magistratum venerari jubet, & ita tacite honorem comprobat, qui magistratui exhiberi debet. 2. quia honor est virtutis praemium. 3. quia status in vita communi distinguit & Reipubl. magnum emolumentum affert, atque ad rebellium contumaciam non parum infringendam facit.

8. Modestia quoque cum in honoribus sit occupata, an cum magnanimitate sit unum & idem, jam venit in quaestionem.

9. Negativa nobis potius arridet. 1. Quia differunt definitione. Magnanimitas enim est medietas elationis & dejectionis animi; Modestia vero medietas in parvis honoribus subsistens. Deinde differunt objecto. Magnanimitas in magnis honoribus est occupata, modestia v. in parvis. 3. Causa efficiente: sicut enim magnanimo honores magni tribuuntur propter magna facinora, ita modici modesto propter modicas res gestas, *Sagitt. l. d. Donalds. l. d.*

10. Nec circa quosvis honores vel falsos versatur magnanimitas, sed circa illos saltem, qui sunt virtutis praemium, quod viris claris propter merita à viris bonis defertur.

11. Excludimus E. hic 1. pravum virum, quoniam solum viro claro debetur. 2. quia honor est praemium virtutis, in pravo



pravo homine cum nulla insit virtus, ideoq; nec præmium illi  
debetur. 3. quia honor est signum reverentiæ exhibitum  
alicui in testimonium virtutis.

12. Disceptat hic Scal. *Exerc. 317. cum Aristot.* An rectè  
honor dicatur præmium virtutis? Nos sequuti Aristot. respon-  
demus cum *Sagitt. l. d.* Exactè quidem loquendo & ἀκριβως  
non esse præmium, quia virtus solum finem habet beatitudinē,  
quoniam autem unius rei plures possunt esse fines, puta subor-  
dinati, ideoq; illum subordinatum finem virtutis appellare  
non erit inconueniens: quia honor beatitudini inclusus est, ut  
qui beatitudinis est particeps, ille simul honoris fastigium at-  
tingat.

13. Honores autem sunt deferendi bonis viris non fru-  
stra, sed propter meritum, quia sunt præmium virtutis quod  
nemini datur, nisi qui illud promeruit.

14. Deridet Ludov. Viv. l. 6. de caus. corrupt. art. Tempell.  
*disp. de Ethic. effect. tr. de un. meth. p. 211.* quod magnanimitas  
sit virtus, qua se quis ex merito magnis honoribus dignum exi-  
stimet. Resp. *Sagitt. l. d. Arist.* hinc 1. præsupponere mentem,  
quæ honorem oblatum promeruit. 2. bonam magnanimi  
conscientiam, quæ honorem istum se promeruisse, rectè no-  
vit, quam sententiam nos amplectimur.

15. Ideoque nec prece vel pretio honores debent com-  
parari, quoniam ubi prece vel pretio comparantur nulla subest  
virtus. 2. quia ob solum meritum debetur honor. 3. si hoc  
valeret sequeretur, quod vir pravus honorem sibi compararet,  
quoniam illum posset à pravo homine vel ab alio mercari.

16. A pravo autem viro honorem debitum proficisci  
non posse hinc liquet. 1. quia ille saltem est in viro bono. 2.  
quia impossibile est ipsum vera & sincera affectione, in qua ta-  
men honos vel maximè consistit, virum bonum prosequi, cum  
ipse malus sit.

17. Elucet deniq; magnanimitas in honoribus vel expe-  
tendis vel contemnendis: illo modo si honorem temeritum  
exigamus, hoc verò si illum nondum factis emeritum recu-  
semus.

18. Moderatè



18. Moderatè tamen illud fieri oportet, nè honore debito affectus animo efferatur, sed quiescat in eo, quod tantum honoris sit consecutus, quantum promeruerit; ideoq; etiam, quasi ei sit aliqua res rara anxie debet expectare.

19. Ex hisce ergò dictis facilè liquet qualis magnanimus esse debeat, nempe qui magnis sit dignus, se quoq; magnis dignum judicat, cui opponitur, qui parvis est dignus & parvis etiam se dignum judicat. 2. qui magnis aut mediocribus, dignus tamen minoribus se dignum judicat. 3. qui parvis dignus, magnis se dignum judicat.

20. Consideratus porrò magnanimus vel ratione aliarum virtutum vel respectu sui; ratione aliarum virtutum vel in genere vel in specie, respectu sui vel in conversatione, vel extra illam, *Sagitt. l. d.*

21. Ratione aliarum virtutum in genere omnia magnanimo sunt magna; quia enim in magnis est occupatus, ideoq; omnia quoque aliis quæ insunt virtutibus, magna esse putat.

22. In specie ratione virtutum aliarum magnanimus versatur circa fortitudinem; non parva subit pericula, sed magna, necessaria & honesta, in quibus non parcat vitæ, sed potius gloriosè putat moriendum quàm turpiter vivendum, quocum laude animi sui magnitudinem possit declarare. Ad summum aut mors aut vita decora.

23. Circa temperantiam. 1. ita versatur ut voluptates etiam honestas in tanto habeat pretio, ut propter eas nihil quicquam viro honesto probrosum velit expetere, sed iis saltem suæ quæ insunt virtuti, est contentus.

24. In liberalitate 3. potius dat beneficium quam illud ab alio sibi dari expectet, si tamen ei datur, assidue duplo aut majori pretio rependere laborat, quando verò necessitas urget, ille beneficium exigere debeat, ibi quia illa nullam dicitur habere legem, *l. 1. ff. de offic. procons. cedit honestas.*

25. Justitiæ ita deditus, ut in commutatione & permutatione, in quibus illa consistit, nemini injuriam faciat, sed suam virtutem & bonis fortunæ longè anteferendam esse censeat.

26. Man-



26. Mansuetus 5. est magnanimus neq; unquam inju-  
riarum sibi illatarum meminit, quoniam in illo nulla est ulcif-  
cendi cupiditas.

27. In amicitia 6. constitutus non celat amorem vel  
odium, sed illud verbis & factis demonstrat, ne videatur alio-  
rum offensiones, cum iustas habeat causas, metuere.

28. Veritatem 7. tuetur, quoniam semper veritatis quàm  
opinionis cupit esse Studiosus & mavult potius esse ipsa re  
quàm videri vir bonus.

29. In conversatione nunc consideratus magnanimus  
non facilè loca honoratiora frequentat; quoniam facilè illud  
potest evenire ut honorè nō meritū ibi affectet, & ita nomen  
magnanimi amittat, vel cogatur alii sese submittere, per quod  
etiam ejus reputatio & authoritas magnam quoq; patiarur in-  
juriam.

30. Non tamen hinc sequitur quasi magnanimus aliis di-  
gnioribus superiorem locum invideret, cum invidia in nullum  
cadit virum bonum, sed quia facilè potest evenire ut cōvenien-  
tem locum suæ virtuti non possit adipisci, vitat potius ejusmo-  
di loca turbarum plena quam ea visitet.

31. In colloquiis familiaribus neque de se, neque de  
aliis, præsertim si adhuc vivant, multum loquitur, ne videatur  
aliorum obtrektor sui verò laudator.

32. Ad aliorum nutum vivere nisi amoris gratia, non  
potest, nam quoniam hoc sit servile & adulatorium virtus  
sua quæ hisce contraria non feret, cum duo contraria simul in  
uno subjecto subsistere non possint.

33. Circa magnos est magnus, quia novit se viris magnis  
esse parem, circa mediocres & humiles remittit [aliquid de sua  
magnitudine, quod tamen virtuti suæ nihil quicquam præju-  
dicat, ne enim illos videatur contemnere, magnitudinem  
dulcedine quadam & gratia miscere & temperare ei est neces-  
se.

34. Accipiendum itaq; non est ita illud Senecæ, animo  
magno nihil est magnum, quasi magnos non magnificiat, aut  
ac si omnia ei sint prava, sed quoniam ille nihil tam magnum  
esse

B

esse



esse iudicet, cui non possit sua virtute par esse; quoniam non ex seipso, sed ex sua virtute ea aestimat.

35. Aliorum calumnias non patitur in se hærere constitutus honoribus, neq; admittit, ut ab eis ullum sibi in virtutis ac dignitatis suæ cursu impedimentum objiciatur, sed omnia propellit atq; propulsat magnanimiter.

36. Neq; admiratur illorum dicta aut facta sublimiter, ne videatur illa sibi esse nova aut inconsueta, quantò enim minus aliquis possidet virtutis, tantò magis virtutem in aliquo admiratur; neque ignorantia causarum arguatur.

37. Concludendum tamen hinc non est, quasi neminem magnificeret, aut justam laudem tribueret, cum longè inter se differant laudare & magnificere, & admirari *Kecker. loc. dict.*

38. Voce utitur gravi, oratione sedata, ad indicandam animi constantiam & tranquillitatem, & ne videatur variis negotiis & rebus esse distentus & districtus.

39. Cibum non quærit, & potius in eo studet elegantia quam utilitati: ac in summa omnia secundum suam virtutem moderatur.

40. Extra conversationem utitur tanto incessu, qui magnitudinem animi repræsentat, cum par sit viros autoritate graves modico gradu per urbem ire, quàm festinanter currere, *Plant. in pen. act. 2.*

41. An autem magna & insignis corporis proceritas requiratur in magnanimo, non incommodè hinc quæritur? *Neg. cum Giph. & Sagitt. 1.* quia magnanimitas est virtus animi, non verò corporis. 2. audiamus illius Poëtæ dicentis:

*Major inexiguo regnabat corpore virtus.*

42. In reliqua vita tam adversam quàm secundam fortunam moderatè fert, ut nullum sit in gestibus discrimen, hoc enim non est constantis cuius animi motum vultus detegit, & quia ad magnanimum pertinet neq; perturbationi animi, neq; hominis neq; fortunæ succumbere, *Cic. 1. offic.* eaque quæ videntur acerba ita ferrut nihil à statu suo discedat.

*Non*



*Non estu cytisus non frigore non nive laesus,  
Spernere magnanimos omnia dura docet.*  
*Schönborn. l. 2. polit. c. 25.*

43. Actiones deniq; subeundas diligenter primò perpendit, quales sint an honestæ suæq; virtuti non contrariæ & quales futuræ, quoniam semel facta infecta fieri non possunt.

44. Quàm difficile ergò sit hinc facile licet colligere,  
1. quia in omni virtute debet esse exercitatissimus. 2. quia magnanimitas est virtus periculosa. 3. quia facile potest degenerare in superbiam *Aristot. l. c. 4. Ethic.*

45. Proximè accedit ad hanc virtutem Modestia, quæ est virtus, qua quis cum mediocribus honoribus dignus sit, iis etiam sese dignum judicat & eosdem decenter appetit *Arist. l. 2. Ethic. Nic. c. 7. & lib. 4. c. 4.*

## THEMA II.

*Pugnantia hujus virtutis sunt duo, unum in defectu, quod vocatur Pusillanimitas, Græcè  $\mu\iota\gamma\alpha\psi\iota\chi\iota\alpha$ , alterum in excessu  $\gamma\alpha\upsilon\upsilon\omicron\rho\eta\varsigma$  superbia sive fastus.*

1. Pusillanimitas est vitium per quod etiam ijs honoribus nos indignos judicamus, qui tamen jure nobis debentur *Aristot. lib. 4. Ethic. Nicom. cap. 3. l. 1. m. m. c. 26. l. 2. Eudem. cap. 3.*

2. Peccant in seipso pusillanimi, quia spoliant seipso honoribus, quæ propter virtutem eis debentur. 2. Malam suspicionem de se concitant, quasi sceleris propter quod honorum finit indigni, essent conscii. 3. Videntur dona à Deo accepta repudiare. 4. redduntur inutiles & segnes ad res præclaras & semetipso multis defraudant bonis, quæ aliàs animam applicando possent consequi *Donalds. l. d.*

3. Superbia sive Fastus est vitium, per quod majoribus honoribus quàm digni sumus nos dignos putamus & judicamus.

B 2

4. Pec



4. Peccant superbi primò quia sunt iniusti, plus sibi tri-  
buentes, quàm eis meritò debetur. 2. quia affectant illos ho-  
nores, quibus sunt indigni, & aggrediuntur res, quas tamen,  
ad finem perducere non possunt.

5. L. Coronidis loco omnes superbos stultos appella-  
mus cum *Sag. Exerc. exot. l. d. 1.* quia plura sibi imaginantur  
quàm eis insunt. 2. quia eos honores aspernantur, quos bona  
conscientia præviis benè meritis suscipere possint.



## Corollaria.

I. *An honor magis sit honorantis, an ho-  
rati. Prius affirm.*

II. *An defunctis honor exhibendus? A.*

III. *An Tyrannicum imperium, quale est  
Turcicum, habeat originem? Tyrannis est de-  
flexio à vera Monarchia.*


F I N I S.
















B.I.G.



Farbkarte #13

16

ETHICARUM

NIMI-  
E.

Numine.

*Facultatis Philosophi-  
ANA.*

AMINE

*antissimi Viri,*

IS LENZII,

ATI ET INCLY-

hicæ Adjuncti.

*Collegis & Commilitonibus*

*ponit*

ohn Halensis S.

*is & loco solitis.*

Æ

FINMANNI.

C. XVIII.

